

„ tamen Sacerdos memor ordinis ſui provideat & con-
„ gruat cuique ſepulturam, & ne ſcandalum quantum
„ vitari poteſt fiat ſuis Parochianis,

Merito ſanè monentur Fideles, ut licet pia ſit cura ſepeliendi, & ſepulchra conſtruendi: quia & hæc in Scripturis ſanctis inter bona opera deputata ſunt, „ ve-
„ rùm illa quæ adjuvant ſpiritus defunctorum, oblati-
„ nes, orationes, erogationes, multò pro eis obſervanti-
„ us, inſtantiùs, abundantius impendant qui ſuos carne,
„ non ſpiritu mortuos, non ſolum carnaliter, ſed etiam
„ ſpiritaliter amant; „ quemadmodum loquitur Auguſtinus Serm. 72.

CAPUT III.

De ſepultura Parochiali, Majorum & electa ſive per electionem.

1. Juſtum eſt ut Parochus propriis Parochianis defun-
ctis juſta perſolvat.
2. Eccleſia Parochialis ejuſve cæmeterium proprius
Parochianorum locus ſepulturæ.
3. Jus funerandi juriſbus Parochialibus annumeratum.
4. Parochialis Eccleſia de jure fundata eſt ſuper ſepul-
turis Parochianorum.
5. Hinc ad ſolas pene Parochiales Eccleſias habentur cæ-
meteria.
6. Ritualia & Synodi Parochos habent pro Ordinariis
miniſtris exequiarum & ſepulturarum.
7. Quis Parochianus in ordine ad ſepulturam dicendus.
8. Scholares Academiæ in Parochia ſepeliendi.
9. Etiam peregrini & tranſeuntes.
10. Niſi tamen in Parochia domicili commode ſepeliri
queant.
11. Religioſi à propriis Superioribus, & in Eccleſia aut
ambitu Monafterii ſepeliendi.
12. Similiter & eorum oblatis.
13. Modo tamen ſint plene oblatis & qui tales dicendi.
14. Plene oblatis ſignum aliquod diſtinctum accipiebant.
15. Multum diſtanti à pueris aliſque in Monafteriis ſim-
pliciter habitantibus.
16. Hi Parochia manent ſubjecti.
17. Niſi conſuetudo aut concordata aliud habeant.
18. Beneficiati in Eccleſia Beneficiorum ſuorum ſepeli-
endi.
19. De jure ſepulchrum Majorum præfertur quoad ſepul-
turam Eccleſia Parochiali.
20. De conſuetudine videtur requiri electio ſepulchri
Majorum.
21. Facilitas tamen ad præſumendam electionem.
22. Per electionem ſepultura excludi poteſt Eccleſia Pa-
rochialis & ſepulchrum Majorum.
23. Electio ſepulturæ poteſt fieri in loco minus religioſo;
ſed non in loco profano.
24. Quid de hæc re habeat Rituale Romanum.
25. Sepeliri in loco profano an noceat defuncto?
26. Unicuique libera eſt electio ſepulturæ, etiam uxori ſi-
ne conſenſu mariti.
27. Ubi ſepelienda uxor non electa ſepultura.
28. Filii familias ſine conſenſu parentum eligunt ſepul-
turam ſi ſint majorennis.
29. Pater eligit pro filio minorenni ſi conſuetudo id ha-
beat.
30. Electio non eſt propriè actus ultima voluntatis.
31. Videtur eſſe ſpecies mandati ad nutum revocabilis;
quod etiam ſine ſcriptura dari poteſt.
32. Per teſtes etiam ſingulari electio ſepulturæ probari
poteſt.
33. Que attendenda in depoſitione teſtium?

34. Ex facto ipſius defuncti ſubinde probatur electa ſepul-
tura.
35. Ex alio probatio electionis requiritur ad excluden-
dam Eccleſiam Parochialem, quam aliam.
36. Introduci poteſt ut electio fieret canonicè per ſcrip-
turam.
37. Quo motivo jam pridem plures ad ſuas Eccleſias at-
trahere conati ſunt fidelium ſepulturæ.
38. Exceſſus Monachorum per Pontificem reſpreſſus.
39. Fratres Mendicantes ſepulturæ ſolicitare ceperunt.
40. Ex ſolicitatione hæc diſſidia & ſcandala orta; quibus
obviandis Conſtitutionem edidit Bonifacius VIII.
41. Electio ſic facta eſt nulla; nec in electa ſepultura ſepeli-
endi.
42. Clerici & Religioſi vigore ſimilis electionis ſepelien-
tes tenentur ad omnium perceptorum reſtitutio-
nem.
43. Pœna hujus Conſtitutionis ipſo facto incurritur; &
Papa abſolutè reſervatur.
44. Hæc Conſtitutio in Belgio renovata; & quantum ex
ejuſ obſervantia ſperandus fructus.



I. Uia Parochus vitâ durante curam ſpiritualem ſuorum Parochianorum ſuſtinet, ipſiſque loco Patris eſt, æquum eſt, ut & defunctos non deſer-
rat; ipſiſque etiam defunctis juſta perſolvat, & locum ſepul-
turæ concedat. Et ſicuti pro ipſis vivis orare & ſacrificium offerre debuit; ita
convenit, ut pro defunctis preces, Miſſæque offerat.

II. Unde jam pridem tamquam indubitatum tradi-
tum fuit, Eccleſiam Parochialem ejuſque cæmeterium eſſe proprium locum ſepulturæ Parochianorum; & Pa-
rochianos in Parochiali Eccleſia ejuſve cæmeterio eſſe ſepelendos, niſi oſtendatur ex aliquo ſpeciali titulo in
alia Eccleſia eſſe ſepeliendos; quod multis juris textibus
expreſſum eſt; ac ſignanter in Cap. 3. De ſepulturis,
item Cap. 2. eod. tit. in 6. & in Clementina 2. §. HUIUS-
MODI eod. notantque omnes interpretes.

III. Inſuper uno conſenſu hoc jus funerandi omnes
interpretes juriſbus Parochialibus annumerant poſt
Abbatem ad Cap. 9. De ſepult. num. 8. ubi monet: „ Pri-
„ mò ſcias quod de jure communi ſolum Eccleſiæ ha-
„ bentes populum habent jus ſepeliendi. jus enim fune-
„ randi eſt de jure Parochiali, quemadmodum & Sacra-
„ mentorum exhibitio.

IV. Itaque Parochialis Eccleſia de jure communi
fundata eſt quoad ſepulturæ omnium Parochiano-
rum; & ipſi Parocho juſ funerandi competit, quæd-
dum contrarium non probatur; quemadmodum fundatas
eſt in jure Sacramenta, aliave Paſtoralia intra limites
ſuæ Parochiæ ſuis Parochianis exhibendi.

V. Hinc paſſim videmus circa ſolas penè Eccleſias
Parochiales cæmeteria (quæ ſunt propriè læca ſepul-
turis deſtinata) ædificata & auctoritate Episcoporum de-
dicata.

VI. Similiter Ritualia, nec non Episcoporum Con-
cilia dum de ſepulturis ac funeralibus agunt, ferè ad ſo-
los Parochos, tamquam ordinarios Miniſtros, ſua de-
creta dirigunt; eoſque monent & inſtrunt quid age-
re & quid cavere in his debeant. Quæ non obſcurè in-
dicant, Episcopos reputare ipſos Parochos ſepul-
turarum ac funeralium ſuorum Parochianorum ordinarios
Miniſtros.

VII. Parochiani autem quantum ad ſepulturam, hi
dicuntur, qui intra limites Parochiæ ita morantur, ut
ipſa Sacramenta vivi in ipſa percipere: & Parochi ipſis
adminiſtrare teneantur.

VIII. Unde Scholares in Academiis, licet non ha-
beant

beant animum figendi ibi fixum domicilium; ſed tan-
tùm pro tempore ſtudiorum ibidem morandi, cenſen-
tur tamen reſpectu ſepulturæ, non ſecus atque reſpectu
exhibitionis Sacramentorum, Parochiani iſtus paro-
chiæ quam tempore ſtudiorum incolunt; uti notat Ab-
bas Panormitanus ad Cap. 1. De ſepult. n. 4. & com-
munis praxis conſonat.

IX. Similiter rectè ibidem notat panormitanus,
quod peregrini & tranſeuntes debeant ſepeliri in Pa-
rochia in qua moriuntur, eò quod parochialis Eccleſia
ſit fundata in omnibus quæ obveniunt in ſua Parochia,
quamdiu ad alium ſpectare non probantur: quo ex ca-
pite etiam nullus præter Parochum poteſt his pere-
grinis intra limites ſuæ Parochiæ Sacramenta admini-
ſtrare.

X. Hoc tamen intelligendum, ſi modo apud ſuam
propriam parochiam peregrinus ille ſepeliri nequeat.
Nam, uti deciditur in Cap. 5. De ſepulturis in 6. „ Si qui
„ habet domicilium in civitate vel caſtro quandoque
„ ad villam ruralem ſe tranſfert recreationis cauſâ, vel
„ ut ruralia exerceat in eadem. ſi ibidem decedat, non
„ in Eccleſia dictæ villæ, ſed in ſua Parochiali debet
„ ſepeliri, dummodo abſque periculo ad ipſam valeat de-
„ portari.

XI. Porro quia Religioſi ſuum prælatum, priorem
aliuve ſuum Superiorem pro Paſtore aut Parocho ha-
bent; ipſum que Monafterium quodammodo pro paro-
chia, etiam debent per ipſum Superiorem exequiæ pro
ipſis celebrari, & in Monafterii ambitu, quod vice cæ-
meterii eſt, vel Eccleſia ſepeliri. Cap. ſin. De ſepulturis in
6. Diciturque quod nec alibi ſepulturam eligere queant;
quod velle vel nolle non habeant: quod & de Monialibus
dicendum. Quin & Begginæ, licet propriè Regulares
non ſint, ſuum proprium parochum, & cæmeterium,
ac juſ ſepulturæ hodie habeant, uti ſupra parte. 1. tit. 3.
cap. 3. notavimus.

XII. Imò in Cap. 10. De ſepulturis injungit Pon-
tifex Hoſpitalaris „ ut de quarta trium millium ſolido-
rum ſatisfaciant Priori; cum conſtet eos à parochianis
„ ejuſ illos ſolidos recepſiſſe; niſi (ait) ſufficienter ſit o-
„ ſtenſum, quod eorum Oblati vel Converſi fuiſſent.

Ad hæc verba reſpectens Panormitanus ait: „ Nota
„ ibi, eorum Oblati & tenementi; quia neſcio alibi ita
„ expreſſum, quod Oblati & Converſi ſepeliantur apud
„ Eccleſiam ubi ſunt Oblati; nec debet ſolvi portio Ec-
„ cleſiæ Parochiali.

XIII. Addit dein panormitanus: „ Quod ego intel-
„ ligo in plene Oblatis & Converſis; ut qui tradiderunt
„ ſe & ſua, aliàs ſecus.

Hæc Panormitani reſtrictio non obſcurè expreſſa
eſt in Clem. 1. De Decimis ubi declaratur, quod Conſti-
tutio de ſolvendis Eccleſiæ parochiali decimis animalium,
quæ Religioſi in fraudem Eccleſiarum in pluribus
locis emunt, emptaque tradunt venditoribus vel aliis
ab ipſis tenenda, extendenda non ſit ad animalia, quæ
per Religioſorum ipſorum Donatos ſeu Oblatos tenen-
tur; dum tamen (ait textus) illi Religioſi cum effectu do-
naverint aut obtulerint ſe & ſua.

Hæc clauſula oſtendit, pro verbis oblatis non eſſe
reputandos niſi cum effectu ſe & ſua Religioſi obtule-
rint; atque hæc oblatione de familia Monafterii cenſen-
tantur, ſive ipſi familiæ incorporati.

De hiſce Oblatis latè agit Du Cange in Gloſſario,
verbo Oblati monens, quod licet non omnes Oblati eſ-
ſent veri Monachi; nihilominus Oblatorum & Donato-
rum ea eſſet conditio, ut de familia Monachorum cen-
ſerentur, Abbati obedientiam promitterent, & victum
& veſtitum ab iſi conſequerentur.

XIV. In ſignum oblationis etiam ſignum aliquod
diſtinctum accepſiſſe innuit Cap. 1. De Succell. ab inſteſtato
in tertia Decretalium Colleſione apud Antonium Au-

guſtinum, ubi reſertur, „ quod cum Archiprebyter de
„ Alerio ſe & ſua ad participationem orationum, Mo-
„ naſterio de Bruxeria pietatis inuitu obtuliſſet, qui-
„ buſdam rebus ului ſuo ſimplici reſervatis, de manu
„ cujuſdam fratris eiſdem cœnobii augmentationem co-
„ rone in ſignum oblationis illius accepit.

XV. Multum proinde differunt veri & pleni Ob-
lati, de quibus ſit mentio in Decretalibus; quique de
familia Monafteriorum reputantur, ut eorum juriſbus
& privilegiis participant, à pueris aut etiam adul-
tis qui ſimpliciter in Monafteriis habitare & expenſas
ſolvere ſolent; nec obedientiam aliquam promittunt,
aut veſtem aliudve ſignum diſtinctivum Oblatorum
accipiunt.

XVI. Unde nec hi Monafteriis incorporati, etiam
Monafteriorum juriſbus aut privilegiis gaudere queunt;
manentque parochis & Parochialibus ſubjecti debent-
que tamquam parochiani ad Eccleſiam Parochialem
ſepeliri; quemadmodum panormitanus ſupra non ob-
ſcurè innuit, ſolos plene Oblatos apud Eccleſiam ubi ob-
lati ſunt ſepeliendos monens.

Hoc & indubiè fundamento declarant S. Carolus
& Synodi Belgicæ, quod laici famuli quicumque Regu-
larium Monafteriis operam navantes, tamen in illis
habent, ſtato Paſchatis tempore in ſua quique Eccleſia
Parochiali ſacram communionem ſumere debeant; de
quo ſupra tit. 4. cap. 3. n. 9. nimirum quia huiusmodi fa-
muli tamen in Monafteriis habitantes, non ſunt veri
Oblati, nec de familia Regulari: ideòque parochiæ ſub-
jecti manent.

Hiſ conſormis eſt ſententia Officialis Cameraceniſis
de ultima Julii 1422. pro Paſtore Eccleſiæ parochialis
De Molenbeca ſive S. Catharinæ in civitate Bruxellenſi,
qua declaratum eſt, „ ſervitores, ſervitrices, juvenes, &
„ commenſales, cæteroque in dicto Beghinaſio famu-
„ lantes infra limites parochialis Eccleſiæ de Molen-
„ beke & in dicto Beghinaſio commorantes prædicti
„ actoris, veri Beghinis dumtaxat exceptis, fuiſſe ac
„ eſſe Parochianos ab eodemque Actore (paſtore præ-
„ dicto) Sacramenta Eccleſiaſtica, nec non Eccle-
„ ſiaſticam ſepulturam debuiſſe ac debere recipere:
„ inſuper decernimus, hoſpites tranſeuntes, & pere-
„ grinos prædicti Actoris parochianos infirmitate de-
„ tentos, & in dicto Beghinaſio defunctos non potuiſ-
„ ſe nec poſſe Sacramenta Eccleſiaſtica, ſepulturamque
„ Eccleſiaſticam in dicto Beghinaſio recipere niſi pri-
„ mitus & ante omnia licentiâ à dicto Actore petita &
„ obtenta.

XVII. Addunt tamen Synodi: Niſi ex ſpeciali concor-
dia aliud ipſiſ ſit permiſſum. Quæ clauſula & in hæc de ſepul-
turis materia ſubintelligi debet. Quin enim & hic
concordata ſunt ſervanda dubium non eſt; quemadmo-
dum & privilegia & indulta Particularia, præiertim
diuturnâ poſſeſſione ſuffulta hic attendenda ſunt; de
quibus latius capite quinto.

XVIII. Sicuti Religioſi & oblatis, qui ſunt de familia
Monafterii, ſepeliendi ſunt ad Eccleſiam Monaste-
rii: ita & Canonici ſepeliendi ſunt in Eccleſia Ca-
pituli, tamen ſi forſan in alia Parochia habitent, eò
quod ipſi Eccleſiæ Capitulari ſint incorporati, atque
ejuſ ſint membra, manentque Parochiani hujus Eccle-
ſiæ ubicumque degant; uti notat Card. Tullus Præſ-
concluſ. Lxx. P. concluſ. 99. n. 5. & quotidiana praxis con-
ſonat; quæ reſpectu beneficiatorum propriam Eccleſiam
ſeu Parochiam reputat Eccleſiam cui ſunt per benefi-
cium incorporati atque in hæc eos ſepeliri vult, ſi com-
modè fieri poſſit, nec alio titulo, puta electionis, alibi ſepeliendi ſunt.

Unde in antiquis Decretis Cameraceniſibus tit. 21. ſta-
tuitur: ut „ Capellani perpetui Sacramenta ſua à Curatis
„ locorum ſuorum in infirmitatibus ſuis accipiant, & ſi
„ decedant,

„decendant, in Capellanis suis sepeliantur, nisi ex devotione (salvo jure Parochiali) alibi elegerint sepulturam.

XIX. Quæ hæcenus de jure Ecclesiæ Parochialis ad sepulturam Parochianorum dicta sunt, intelligi debent inspecto jure Decretalium, nisi defunctus habeat sepulchrum Majorum, in quo potius, quam in Parochia sepeliendum esse declaratur *Cap. 1. c. 3. De Sepulturis*; idque exemplo petito à Parochianis in Veteri Testamento, qui amabant sepeliri in sepulchro Majorum. Hinc frequenter in Scriptura Sacra occurrit hæc phrasidis: *sepulchrum seu appositum est ad PATRES suos.*

XX. Verum de Patriarcha Jacob legitur, quod adjuverit filium suum Joseph, ut corpus suum sepeliret in sepulchro Majorum, uti & in Tobia consideravit *Can. EBRON caus. 13. q. 2.* adeoque sepulchrum Majorum per electionem obtinuisse & sibi procurasse videntur ait Zypæus in Jure novo *tit. De Sepulturis n. 4.* asseritque quod horum exemplo, „multis locis usurpetur, ut nisi defunctus testatus fuerit, se sepeliri velle apud Majores suos, sepeliatur in Parochia.

XXI. Addit tamen Zypæus: „Si autem alia argumenta concurrunt, facile sepulchrum Majorum assumitur in argumentum electæ in eo sepulturae.

Indubie consuetudo locorum plurimum hic valere potest, præsertim ut primævum jus Ecclesiæ Parochiali conferverit.

XXII. Sepultura Majorum uti & Parochiali de jure & consuetudine præfertur sepultura à defuncto electa, *Cap. 1. De Sepulturis*; ubi Pontifex postquam dixit, unumquemque juxta instituta antiquorum Patrum in Majorum suorum sepulchro sepeliendum esse, subjungit: „Nulli tamen negamus propriam eligere sepulturam, etiam alienam. Dominus enim & Magister, alienam elegit, ut propriam, „Et in *Cap. 2. §. fin. eod. in 6.* dicitur: „Si quis antiquâ dimissâ novam elegerit sepulturam, electionem hujusmodi nolumus impugnari.

XXIII. Verum illud in Decretali notandum, quod dicatur, electionem non esse impugnandam, etiam si elegerit sepulturam in loco minus religioso, quod repugnare videtur *Cap. 3. De Sepult.* ubi scribit Innocentius III. „mortuorum sepulturae & cæmeteria apud illas Ecclesias & Monasteria ex antiquo esse disposita in quibus Religiosorum fratrum Conventus sunt constituti, & orationes, atque Missarum solemnia tam pro vivis, quam defunctis frequentius celebrantur. „Hinc ulterius concludit: „Unde ipsorum devotioni & extremæ voluntati, qui apud hujusmodi Ecclesias sepeliri desiderant, minimè est contradicendum.

Deinde addit: „Qui verò relictis antiquis Ecclesiis & Patrum aliorumque Parentum suorum sepulchris, contra consuetudinem Patrum veteris Testamenti, qui cum patribus suis sepulti esse leguntur ad nova & minus religiosa loca se transferunt, irrationabiliter & contra antiquam institutionem facere videntur.

Hinc unanimi consensu concludunt Canonistæ, sepulturam eligendam esse in loco religioso; electionem autem factam de loco profano, tamquam irrationabilem esse respuendam; notantque Pontificem in citato *Cap. 2. De Sepulturis in 6.* non esse impugnandam electionem in loco profano; sed minus religiosa. Apparet autem quod Bonifacius VIII. ibi per locum minus religiosum intelligat Oratorium, vel Sacellum ad Missarum solemnia & sepulturae dedicatum; sed tamen, in quo non est Religiosorum Fratrum Conventus, nec frequenter Missarum solemniam tam pro vivis quam defunctis celebrantur; qualem locum desiderasse videbatnr Innocentius III. in dicto *Cap. 3.* atque quoad hoc, Decretalem Innocentii III. correxisse aut potius declarasse videtur Bonifacius VIII. qui expressè monet, licet jura super hoc videantur esse diversa.

XXIV. Rituale Romanum ait: „Cæterum nemo Christianus in communione fidelium defunctus extra Ecclesiam aut cæmeterium ritè benedictum sepeliri debet, sed si necessitas cogat ex aliquo eventu aliquando ad tempus aliter fieri poterit, corpus in locum sacrum quamprimum transferatur.

XXV. Quid profit sepultura ad memorias Martyrum sive Ecclesias late exponit Augustinus *libro de Cura pro mortuis*; unâ ostendens, nihil obesse Christianis, si per crudelitatem tyrannorum, aut inhumanitatem hominum, vel alia de causa ipsorum corpora maneat in sepulchro aut etiam à bestiis devorentur.

XXVI. Itaque unicuique libera est electio sepulturae in loco quocumque religioso jus sepulturae habente. Et quidem adeo libera est hæc electio, ut nec subjectio uxoris respectu mariti impediat, quo minus uxor etiam vivente marito sibi possit eligere sepulturam; diciturque in *Cap. 7. De Sepulturis*, nullam quoad hanc eligendi libertatem, esse faciendam distinctionem inter virum & mulierem. Ratio subjungitur: *Cum electio ista ad eum potius statum pertineat, in quo mulier solvitur à lege viri.* Quasi diceret, electio hæc non nisi post mortem mulieris effectum habet; atque in illud tempus tantum disponitur, quando mulier tunc soluta est à lege viri.

XXVII. Si autem mulier non elegerit sepulturam, in sepulchro mariti sepelienda erit; & quidem si plures habuerit maritos, est cum ultimo, cujus domicilium & honorem retinet, sepelienda. *Cap. 3. §. MULIER De Sepult. in 6.* Atque de hoc casu non electæ sepultura accipiendum esse credit Glossographus quod ex S. Hieronymo dicitur in *Can. 2. Caus. 13. q. 2.* „Quos conjungit unum conjugium, conjungat sepulchrum; quia una caro est, & quos Deus conjungit, homo non sepat. Item & illud sub nomine S. Augustini in Canone sequenti: „Unaqueque mulier sequatur virum suum sive in vita, sive in morte.

XXVIII. Sicuti potestas mariti in uxorem non impedit electionem sepulturae; ita nec patria potestas impedimento est filio-familias, quo minus sibi eligat, etiam sine consensu patris sepulturam, *Cap. 4. De Sepulturis in 6.* modò tamen minoræ ætatem exceßerit, sive pubertatem attigerit.

XXIX. Minores enim sibi eligere non possunt; sed pater eligere sepulturam potest pro minore suo filio, si consuetudo loci habeat *Cap. 7. §. UTRUM De Sepult.* ubi autem consuetudo hujusmodi non habetur, cum suis Majoribus, vel in Ecclesia Parochiali sunt sepeliendi. *Dicto Cap. 4. De Sepult. in 6.*

Notat autem hic Glossographus, quod „consuetudo habeat, quod parentes vel amici, tales minores, sepeliant in altera quam volunt (hoc est in sepultura Majorum, vel in Ecclesia parochiali) Et grave videtur (ait) puerum 8. dierum semper in antiquis tumulis, solemniter sepeliri.

Unde & in suis Ordinationibus Synodalibus declarat Eminentissimus Cardinalis Camusius Episcopus Gratianopolitanus, quod pueri minores debeant sepeliri in Ecclesia Parochiali, nisi habeatur sepulchrum Majorum, in quo pater poterit eligere sepulturam pro filio minore. *Tit. 4. art. 2. cap. 6.*

XXX. Quamvis electio sepulturae plerumque fiat per testamentum aut codicillos; atque non nisi morte confirmetur & effectum sortiatur; nequaquam tamen propriè est actus ultimæ voluntatis; neque regulis & solemnitatibus ultimarum voluntatum subjecta aut obligata; unde, ut jam dictum est, licet filiusfamilias de jure testamentum facere nequeat, sepulturam tamen eligere potest.

XXXI. Videtur itaque electio hæc esse quædam species mandati exequendi post mortem; ac propterea etiam re integrâ revocabilis usque ad mortem. Atque consequenter non tantum per testamentum aut codicillos, sed & aliam

aliam quamcumque defuncti scripturam, aut etiam sine scriptura, solo verbo electio hæc fieri potest.

XXXII. Ita autem fieri debet, ut plenè probari queat, sive per scripturam, sive per tot testes, & tales qui plenam fidem faciant; uti rectè persolvit Wameus *Conf. Can. 433.* qui & ibidem ex Guidone Papa *Decif. 544.* tradit, ad probandam electam sepulturam sufficere testes singulares ex loco & tempore; uno dicente hoc loco & tempore, aliis alio audivisse, defunctum sibi eligentem sepulturam, aut confitentem quòd elegerit.

XXXIII. Hoc tamen addit Wameus: „In hac probatione, quæ fit per testes, sive singulares, hoc requiritur, ut deponant defunctum non jocosè, non levitate quadam, aut obiter fecisse hanc electionem; sed destinato proposito, & verbis non omnino enuntiatis, sed dispositivis, in re & actione seria seu ardua.

XXXIV. Notat insuper, interdum probari posse electam sepulturam „ex facti evidentia, ex destinatione Patrisfamilias, si videlicet sibi vel uxori, seu familiæ, aliquo loco monumentum fieri fecerit, si acrophagum posuerit, si epitaphium, præveniendò tempus mortis posuerit.

XXXV. Illud quoque non dubium exactiorem probationem requiri de electione sepulturae, si agatur de excludenda Ecclesia parochiali in qua defunctus vitâ suâ durante Sacramenta recepit, & audivit verbum Dei, quàm si agatur inter duas Ecclesias, quarum neutra de jure fundata est super sepultura defuncti.

XXXVI. In Actis Cleri Gallicani *tom. 1. tit. 2. c. 6. art. 7.* refertur judicatum 19. Julii 1628. per Arrestum Parlamenti Redenensis corpora defunctorum esse sepelienda in suis parochiis, nisi aliter per testamentum & ultimam voluntatem disposuerint.

Non dubium, quin consuetudine, vel statuto induci posset, ut nulla electio sepulturae admitteretur cum exclusione Ecclesiæ parochialis, nisi de electione per testamentum, aut aliam legitimam ultimæ voluntatis dispositionem constaret: ut ita magis cautum esset Ecclesiis parochialibus, quibus de jure sepultura competitur, ut omnes contentiones super probatione electionis cessarent; sicuti hac ratione hic Edicto perpetuo cautum est, non admitti aliam probationem quam per scripturam, quando agitur de summa excedente 300. flor.

XXXVII. Cum autem jam pridem solliciti fuerint Fideles suam erga loca suæ sepulturae liberalitatem singulari em ostendere, fundationesque piis in locis facere; quin & in funeribus oblationes fieri consueverint; etiam jam prædem cupiditas quorundam Ecclesiasticorum his emolumentis temporalibus inhiantium, variis artificibus & modis parum honestis conata est Fideles ad eligendam in suis Ecclesiis sepulturam inducere; idque non raro cum notabili detrimento Ecclesiarum Parochialium, quæ ipsos defunctos, vitâ durante, tamquam patres lactaverant, & nutriverant.

XXXVIII. In *Cap. 4. De Sepulturis* in prima collectione Decretalium apud Antonium Augustinum (fragmentum extat in *Cap. 2. §. eod.*) refertur Epistola Leonis (versimiliter IX.) omnibus Fidelibus per Dardaniam constitutis inscripta, in qua scribit, sibi esse reatum, quòsdam esse perverse agentes qui pervertere nituntur Ecclesiæ unitatem, „videlicet Abbates, Monachos, qui non studio caritatis, sed zelo rapacitatis invigilant, atque seducere conantur sæculares quos illaqueare possunt ut res suas, atque possessiones, sive in morte, sive in vita, monasteriis suis tradant, & Ecclesiis, quibus subjectæ esse videntur & à quibus Baptismus, Pœnitentiam, Eucharistiam, nec non pabulum vitæ, cum lacte carnis acceperint, vel accipiunt, nihil de bonis relinquunt.

Hanc Monachorum rapacitatem planè improban-

dam dicit: „considerantes (ait) non esse bonum, si illi, qui olim loci fuerunt passionum, secundum Apostolum, sint immunes à societate consolationum. Et quia dignus est operarius mercede suâ.

XXXIX. Sanctus Bonaventura in Epistola 2. ad Provinciales sui Ordinis scribit, quòd sepulcrarum & testamentorum litigiosa & avida quædam invasio Ordinem ipsum Clero toti non modicum exosum fecisset; uti supra *part. 1. tit. 32. cap. 1. num. 21.* notavimus. Ex quo colligitur, quòd vel eo tempore inciperent ad suas Ecclesias attrahere Fidelium sepulturae; idque cum Cleri offensione.

XL. Cum autem hæc sepulcrarum invasio, quæ etiam aliorum Ordinum Religiosos, imò Clericos seculares sensim invasit, magna scandala & dissensionum semina pareret, ipsique Fidelibus libertatem in eligendis sepulturis adimeret, Bonifacius VIII. animatum periculis & scandalis, quæ frequenter ex his proveniunt, obviare volens, ait: „Universis Religiosis & secularibus Clericis consuecumque status, vel conditionis existant, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub interminatione maledictionis æternæ, districtissimè prohibemus: ne aliquos ad votandum, jurandum, ut fide interpositâ, seu alias promittendum inducant, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent.

XLI. Extat hoc Bonifacii Decretum in *Cap. 1. De Sepult. in 6.* additque: „Nos enim (si secus factum fuerit) electionem talem decernimus nullius penitus existere firmitatis. Statuentes, ut ii, qui sic elegerint, nec apud sic electas Ecclesias ullatenus sepeliri, nec alibi (ne contra votum, juramentum aut promissum hujusmodi à se factum materiam habeant veniendi) possint eligere sepulturam: sed contradictione quacumque cessante, sepeliantur omnino apud illas Ecclesias, apud quas sepeliendi de jure fuissent, si aliâ sepultura non electâ, forsitan deceßissent.

XLII. „Si verò iidem Religiosi, vel Clerici prædictos in suis Ecclesiis vel cæmeteriis præsumperint sepelire; ad restitutionem tam sepulcrorum corporum (si petantur) quàm etiam omnium, quæ occasione sepulturae illorum pervenerint quomodolibet ad eosdem, intra decennium integraliter faciendam ipsos obligatos esse censemus. Quàm nisi fecerint, Ecclesiæ ipsæ apud quas sepulti fuerint, nec non & cæmeteria earundem, ex tunc eo ipso sint, & tamdiu maneat Ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plenaria omnium prædictorum.

XLIII. Hæc constitutio renovatur in *Cap. 3. De Pœnitentia* in Clementinis, volens, „violatores dictæ constitutionis pœnam à Bonifacio comminatum, incurere ipsos, facta, ab alio, quàm à Sede Apostolica (præterquam in mortis articulo) nullatenus absolvendos; nullis privilegiis aut statutis cujuscumque tenoris existant, super his valentibus.

XLIV. Synodus Namurcensis anno 1659. postquam *tit. 19. cap. 4.* declaraverat, quod in sepeliendis mortuis seu deducendis ad Ecclesiam non possint Religiosi portare stolam extra septa Monasterii sui juxta Clementinam DUDUM *De Sepulturis*, subjungit, *cap. 5.* „Neque inducere, aut persuadere morientibus ut apud se eligant sepulturam sub pœna comminatâ in Clementina CUPIENTES. *De Pœnitentia.*

Sanè si Fidelibus permitteretur libera sepulcrarum electio, omnique illa indectio & odiosa ac scandalosa sepulcrarum invasio cessaret, non dubium, quin multa dissensionum Clerum inter & Regulares semina suffocarentur, murmuræque & scandala evitentur.